

1201 ipsam juvare constituit. Primus itaque omnium idibus Octo-
bris Venetiis profectus est: eum postridie reliqui secuti.
Habuit classis universa naves ducentas & quadraginta. Nam
præter triremes sexaginta numero, quas ab initio Venetus
cum Gallis fuerat pactus, septuaginta onerariæ instructæ
dicuntur, in quas externus miles est impositus. Navigia
ad hæc (*urserios* vulgo appellant) ad commeatus, equos,
ac reliqua impedimenta deportanda, centum & viginti.
Sub primum tam validæ classis adventum Tergestini & alii
Histriæ accolæ, qui maria cursu infestabant, metu percul-
si ad Henricum mittunt, pacem orantes. Ea his conditio-
nibus data est: ut Humagenes quinquaginta vini urnas,
ac totidem Tergestini Veneto Duci quotannis tributi no-
mine mitterent, Missi ad hoc ipsum Venetias, qui in pu-
blica verba jurarent, perpetuo se tributum daturus, atque
in ea fide, in quam ultro sui olim majores venissent, per-
mansuros. Ex Histria Jaderam classis admota: ea oppugna-
tio (quia urbs valido inita erat præsidio) omnium opinio-
ne longior fuit: & quo longior, eo quidem laboriosior.
Oppidum sæpius oppugnatum, multus cruor utrinque fu-
sus: demum post varias clades urbem armis receptam, qua
parte mari alluitur, muro nudarunt Veneti. Jaderensium
primores, quibus auctoribus totiens civitas defecerat, ve-
niam desperantes media trepidatione dilapsi voluntarium si-
bi exilium conscivere. Hyems interea non solum appete-
bat, sed jam crebris sævire cæperat procellis: quum Ale-
xius puer Isachi filius, qui patruī sceleratas manus effuge-
rat, Dandulo Gallisque ducibus circa Jaderam hybernanti-
bus supervenit. Hic multa puer de injuria patruī questus,
cæcitatem patris, vincula, squalorem, tenebrosū carce-
rem, exilium suum vel ipsi hosti miserabile, flebiliter ex-
ponit: *Orare quidem ut pro veteri genitoris sui in Venetos
studio, pro fide, societate, hospitio, proque omnibus benefi-
ciis, quibus ille rem Christianam circa Byzantium, ac to-
to suo imperio quandoque juvisset, ut afflictis rebus suis
opem ferrent: ne paternam orbitatem in majoribus, quam
cæcitas attulisset, tenebris diutius jacere, seque admodum*

Jadera re-
cepta.

1202

pue-